

www.e-rara.ch

**Ioannis Cantacuzeni Constantinopolitani regis contra Mahometicam
fidem Christiana & orthodoxa assertio**

Johannes

Basileae, [1543]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-95092>

[Epistola nuncupatoria]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CLARISS. VIRO D. IOANNI DRA
CONITI SACRAE THEOLOGIAE APVD

*nobile Marpurgum fidelissimo doctori, Rodol-
phus Gualtherus Tigurinus S. P. D.*



VLTVM hodie quæri solet, uir clarissime,
quo modo, quibus consilijs, qua arte, qui-
bus deniq; armis Turcica illa barbaries pro-
pulsari possit, quæ nobilissimis Europæ par-
tibus, Græcia nimirum, Macedonia, Thra-
cia, & ipsa nuper, proh dolor, Pannonia de-
uictis, nunc etiam ipsi Germaniæ manus ad-
moliri uidetur: & inferet haud dubie grauif-
simam cladem, nisi nos ijs quibus par est, armis restiterimus. A qui

nemo est interim, qui non huic resisti cupiat, qui non hanc debellari
uelit, qui non etiam hoc metu liberari exoptet. Hoc enim uel cū bru-
tis commune habemus, ut noxias res deuītare, salutiferas autem &
utiles amplecti soleamus. Cum uero tenebrarum princeps primum
parentem Adam totumq; humanum genus, non modo peccati reū
fecerit, uerum etiam diuinæ illi nature, quam Deus homini dederat,
tenebras offuderit, fieri uidemus ut inter res ipsas ferè omnes non
bene discernētes, noxias pro utilibus amplectamur, utiles uero pro
noxijs auersetur. Et quemadmodum in summi boni inquisitione
& iudicio maximam hominum partem falli uidemus, dum alius o-
pes, alius honores, alius uoluptates summi boni loco æstimat, & ad
hoc medijs contendit illicitis, ambitione nimirum, dolis, fraude, ra-
pinis, furtis, cæde, alijsq; huiusmodi: ita in malis propulsandis lon-
ge aliam, quàm Deus præceperit, uiam ingredimur. Nostreis enim
uiribus propulsare conamur, quæ diuina potētia immissa sunt. Sed
quàm misere succedant huiusmodi conatus, ex quotidianis priuato-
rum hominum exemplis & nobilium rerum pub. ruinis cōiungere li-
cet. Videmus hoc idem nobis, hoc anno nimium infœlici fato con-
tigisse, dum alijs alijsq; modis Scythicū illud flagellum confringere
conamur. Hic enim mira hominum huius sæculi cōsilia audire licet,
dum alius Germanum, Hispanum alius, alius Romanum & aliunde
collectum militem crepat. Alij interim confœderationes Regum,
principum, nationum & urbium magno studio ambire solent: tunc
nimirum rebus suis consuluisse putantes, si innumerabilem blasphe-
morum simul & ebriorum militum multitudinē et apparatus plus
quàm Persicum in castra detulerint. Atqui utinam hic omnes illud
Psalmistæ animo suo uoluerent, sub persona Dei dicentis: Utinam

» populus meus audisset me, & Izraël in uis meis ambulasset. Quia
 » breui inimicos illorum humiliasset, & super aduersarios eorum
 » uertisset manum meam. En benignissimam Dei in nos beneuolen-
 tiam, & fauorem plus quam paternum. Vt enim pater non læto, sed
 afflicto animo filium inobedientem corrigit, hoc unum, ut resipiscat,
 desiderans: talem se nobis Deus proponit, qui inuitus flagellum im-
 mittat: retrahat autem cupidissime, si nos in ordinem redactos esse
 uiderit. Videre hoc licet multorum exemplorum testimonio, si mo-
 do in reipso sole clariore exemplis opus est. Quoties enim duræ cer-
 uicis populus Izraël per desertum duce Mose oberrans, Deo ob-
 murmurauit, omnium beneficiorum immemor: Quoties hac in-
 gratitudine Dei iram in se concitauit: Sed quoties idem per pœni-
 tentiam & religionem saluatus est: Quod idem, cum terram pro-
 missam iam possiderent, factum uidemus. Nunc enim propter pec-
 cata sua Chananæorum, nunc Ammonitarum, nunc Madianita-
 rum, nunc Palæstinorum, aliarumque gentium iugo pressæ, repenti-
 num semper & insperatum senserunt auxiliū, si animo ad Deum ele-
 uato illius misericordiam inuocarent. Deus enim, qui in Aegypto
 inuocantes se audiuerat, idem etiam in terra sua ad se solum confugi-
 entes non negligebat: quin pace secura illis concessa, Iudaici impe-
 rij terminos longe lateque extendit. Verissimum enim est idem illud
 Dei oraculum, quod apud Esaïam superiori ferè simile legimus: V-
 » tinam aduertisses mandata mea, tunc fuisset quasi fluuius pax tua, &
 » iusticia tua sicut fluctus maris. Hæc inquam, Draconites charissi-
 me, utinam tota Germania consideraret: & haud dubie breui, isto
 atrocissimo flagello liberaremur. Quis enim non intelligit, peccata
 nostra pœnam hanc meruisse: Conferamus enim ea quæ Babyloni-
 cam captiuitatem præcesserunt Izraëlitarum tempora, cum hisce no-
 stris: utraque hæc tam similia inter se esse apparebunt, ut ouum ab
 ouo citius quam hæc ab illis distinxeris. Vt enim tunc temporis e-
 rant, qui ex professo idololatriæ studebant, qui Ieremiæ & alijs pro-
 phetis obloquebantur, qui siderum cultum pleno ore iactabant:
 sic nostris temporibus inuenire licet ubique templa pontificia abo-
 minatione conspurcata, religionem quæstuosam, cultū à Deo crea-
 tore ad creaturas translatum, Verbi contemptum: talesque in sin-
 gulis locis homines, qui scripturarum nulla religione tenentur, &
 penes quos tutius fuerit atrocissimis calumnijs insontes circumue-
 nire, blasphemias impijssimas effundere, spurcissima cum scortis &
 lenonibus colloquia miscere, quam Sacre scripturæ locum aliquem
 exponere, uitæ emendationem postulare, & pacem promouere
 publicam. Vt Ieremiæ temporibus hi qui pij uidebantur, fucatam
 magis

magis quàm ueram religionem præ se ferebant: ita hodie inter illos euenire uidemus, qui Euangelio inflati potius quàm emendati, Christianissimorum nomen sibi uendicant. Multa enim illi de Euangelio disserunt, Christum crepant, quæstuosam pontificis nundinationem proscindunt, gratuitam quæ peccatorum remissionem per sanguinem Iesu Christi partam iactant: obliti interim, hanc alteram tantummodo Euangelij partem esse, quàm prior illa, poenitentia nimirum, præcedat necesse est. Vtraque enim hæc Christus docuit, & idem hic Euangelium in has partes diuisum, iam coelos ascensurus apostolis docendum commendauit. Si igitur Christiani uideri uolumus, ubi Christiana fides per charitatem, ut Paulus ait, efficax: ubi Christiana religio: ubi Christianæ uitæ sinceritas & innocentia: ubi ante omnia hæc humillima illa & luctuosa peccatorum nostrorum poenitentia, & ardens sacrarum literarum studium: Hæc sanè si hodie quæras, unà cum Astrea illa poëtica relictis terris in coelum auolauisse dices. Quamuis interim non ignorem esse quosdam, imò multos in principum aulis, in populorum magistratibus, in ciuitatum conuentibus homines uerè pios, qui hæc agnoscunt, deplorant, & ardentissimis uotis sublata cupiunt, qui uiam docent ueram, & modum ostendunt per quem Dei iram efugere liceat. Sed quid pauci inter plures alios diuersum longe sentientes: Quamuis enim hi multum de mutuo pacis studio, de ecclesiæ reformatione, de priuata & communi omnium poenitentia differant, & hæc arma longe fortissima contra Turcicam ferocitatem in medium deponant, derisores citius quàm obsecutores inueniunt. Cæterum alia ad hunc propellendum arma non esse, & nos, nisi ipsi utamur, perituros, ueterum exempla docent, & nos nostro malo quotidie experimur.

Accedit autem his aliud malum longe grauius, quod paucos inuenire liceat in uera religione bene institutos. Licet enim nomine tenus omnes Christiani sint, & periculosissimum sit hunc illis titulum auferre: paucissimos tamen in hominum uulgo inuenias, qui Christianæ religionis fundamenta & penetralia: ut sic dicam, penitus inspiciant. Hi deinde consuetudine potius quàm fide aut religione ducti, Verbum audiunt, sacris participant, & omnibus Christianorum ceremonijs utuntur: sed animum habent affectu procellis turbidum, qui fructiferum aliàs Euangelij semen opprimere solent: uel si idem enatum sit, leui momento rursus amittunt. Quemadmodum enim semine in petricosa loca deiectum exoritur quidem, sed cum radices altius agere non possit, nec etiam tempestatum & caloris uires sustinet: Sic homo qui uerbis quidem fidem iactat, ani-

mum uero à fide alienum habet, secundis quidē rebus Christianus
 esse uidetur, at persecutione orta afflictionum æstu cōsumitur. His
 enim ferè contingere solet, ut fidem ueram ex successu cultorum æ-
 stiment: quem si lætum conspiciant, fidem illorum probare: sin ad-
 uersum, improbare consueuerunt. Hi igitur cum exactissimam rei
 militaris disciplinam, instructissimas copias, arma scelicissima, & ui-
 ctorias exoptatissimas Turcicæ potentix contra Christiani nomi-
 nis professores cernunt, de sua religione, quæ Christo innitur, inci-
 piunt dubitare, existimantes fieri non posse ut religionem Deo ad-
 uersam sequantur, qui tam scelici fruuntur rerum successu. Hinc fit
 igitur ut multæ gentes spontaneæ quodammodo se illi dedant: mul-
 ti etiam frigidis animis sese opponētes, leuissima incurfione uincan-
 tur: qui si rem omnem penitus intelligerent, fortissimo animo decer-
 tarent, non tam armorum fiducia quàm fide in Deum confirmati.

» Dicerent enim cū fortissimo illo Izraëliticæ militiæ duce Ioab: Con-
 » fortamini, et firmi stemus pro populo nostro, et pro ciuitatibus Dei
 » nostri. Dominus autem faciat, quod bonum est in oculis suis. Si in-
 quam, hoc animo instructi hostes infideles aggredieremur, sciremus
 utique non nostrum, sed Dei negocium hîc agi: & tanto duce ani-
 mati, & uulnera & mortem contemneremus. Huiusmodi autem ani-
 mus sine uera ueræ religionis cognitione esse non potest. Illa autem
 firma nunquam fuerit, nisi falsam etiam religionem cognitam ha-
 buerimus. Vtrarumq; enim collatione piorum animi incenduntur
 ardentissimo fidei & pietatis amore, odium uero acerrimum impie-
 tatis concipiunt. Adde, quod nunquam ueram religionem contra
 infideles defendere poterit, qui illorum perfidiam, impietatem, et im-
 pietatis argumenta ignorat. Prudenter itaque mihi facere uidentur,
 qui hoc periculoso rerum statu in id incumbunt, ut Mahometicæ
 legis abominatio in medium protracta, ueritatis mucrone penetran-
 tiori quouis gladio ancipiti confodiatur. Vident enim hi quantum
 boni in ueteri ecclesia hinc emerferit, quòd hæreticorum impia fig-
 menta toti orbi proponerentur. Ea enim est impietatis & supersti-
 tionis deformitas, ut si laruam illam fucatam illi detraxeris, etiam ip-
 sos suos discipulos terreat. Quare orthodoxi ueteris ecclesiæ scrip-
 tores, non in hoc erant, ut hæreticorum dogmata & argumenta in
 tenebris abscondita delitescerent: sed in ueritatis lucem uel inuitis
 hæreticis protracta, uerbo Domini iugulabant. Nec enim est ut hic
 aliquis ueritatis damnum metuat, qui illam penitus cognouerit. Ipse
 enim Christus cum pharisæorum hypocrisim suæ doctrinæ pluri-
 mum incommodare uideret, eandem non contextit, sed uahementis-
 simo animi ardore detexit, Væ illud horrendum illis intonando.

Atqui

Atqui idem nostris temporibus factum uidemus, magno cum animarum commodo & salute. Quamdiu enim Romani pontificis lex fuit incognita, nec superstitioni illi abominandæ hypocrisis larua detracta est, uiribus quotidie aucta, ueritatem & pietatem oppressit, ita ut nullis armis unquam uinci potuerit. Quis enim ignorat Imperatorum aliquot contra Pontificem conatus, magnanimos quidem illos, nec improbandos, sed successus semper infeliciores? Postquã uero Euangelij lux in mundo affulsit, & Romanæ impietatis abominatio in medium prolata hominum oculis exposita est, quis non uidet, quantum damni sceda illa superstitio acceperit, ut iam non principibus modo, doctis & eruditis, sed etiam idiotis & agricolis, imò pueris adhuc teneris ludibrio sit? Omnino enim sic comparatum esse uidemus, ut is qui Euangelium non armis, sed uerbi prædicatione in orbem uniuersum propagari uoluit, idem etiam impietatis sectatores non gladio & igne, sed ueritatis fortitudine uelit debellari.

Ipse igitur cum aliquos multis ab hinc annis uiros bonos, pios & eruditos, hunc etiam lapidem contra Sarracenorum hæresim mouisse uiderem, & hoc nostro sæculo idem multos tentare, non similiter tamen successu, semper cupiebam quàm plurimos tam egregij operis adiutores esse, non dubitans eodem ariete istam hæresim quatendam & deiciendam fore, quo hisce diebus papistica illa arx excelsissima deiecta est, adeò ut quorum ortus eodem tempore emerfit, eodem etiam gladio & tempore conciderent. Ecce autem ut subito non sine numine, ut spero, commodissima sese occasio obtulit, qua etiam nostri (si modo aliquod datum est) ingenij uires in tam sancto opere exercerem. Cum enim fidelissimus in Christi ecclesia minister, sagacissimus diuinorum mysteriorum indagator, & præceptor noster unice colendus, THEODORVS BIBLIANDER (cui ut multum Tigurina debet ecclesia, ita omnes etiam exteræ eundem suspiciunt) noctes diesq; in hoc negotio uersa retur, ut Christianus orbis Mahometicæ legis impietatem & agnoscere & refutare posset, obtulit nobis hunc Ioannis Cantacuzeni Constantinopolitani regis librum contra legem, cuius modò meminimus, conscriptum magna pietate, magna religione, summo etiam in sacris tractandis iudicio. Obtulit autem exemplaria duo Græca, manu scripta, quæ ab amicis acceperat: è quibus quod uetustius erat, & correctius, Constantinopoli erat conscriptum, testante hoc subscriptione, quæ & locum & librarij Emanuelis Zycandylæ nomen præferebat. Petijt autem à me, ut in Christianæ religionis gratiam, commodum publicum, & multorum salutem, eundem Latio donarem. Quid autem facerem, mi Draconites? Erat opus nouum,

& graue, & meis fortasse humeris impar. Petebat autem is, cui me plurimum debere nunquam fateri desinam. Postulabat totius ecclesiae utilitas, in cuius gremio quotquot sunt, Christi spiritu & protectione fouentur. Num igitur meam hinc operam denegarem? Num laboris tædio ducerer? Num pudore rustico tot bonos & Christianos uiros hoc tam sancto munere spoliarem? Ingratus certe, imò impius mihi uisus essem, si hic meos denegauissem labores, quos in alijs nonnunquam minus utilibus impenderam. Subij igitur pondus hoc satis graue, exemplaria utraque contuli, in quibus tamen non multum discrepantiæ inuenire licebat, & tandem omnia collata Latino sermone loqui docui. Neque hic mouebant me scrupuli aliquot, quos in nonnullis locis, in tertia autem Apologia imprimis animaduertebam. Illic enim, prout temporum suorum ratio postulauit, sanctorum imagines, intercessionem Diuorum, crucis religiosum cultum, & nescio quæ alia, satis constanter quidem, sed minus firmis argumentis defendit. Hæc tamen temporis (ut dictum est) condonanda esse putabam. Et iniquum mihi uidebatur, tantum thesaurum propter carbones aliquot iniectos abijcere. Si enim hoc facere uoluerimus, uix aliquem etiam receptum doctorem in ecclesia retinere licebit. Vt enim uix inuenire licet corpus aliquod omni carens macula: ita uix opus aliquod, à pijs etiam compositum inuenias, in quo non humanæ, id est labilis & lubricæ naturæ uestigia depræhendas. Vt autem rem aliquam multis accommodam usibus, non propter aliquod leue incommodum repudiamus: ita etiam hunc librum Christianis hominibus recipere licebit, & singula iuxta Pauli doctrinam probare, & quæ bona fuerint retinere. Damascenum enim secutus esse uidetur: qui cum & ipse imagines defenderet, non tamen imaginibus honorem tribui docebat, sed ijs quibus imagines essent positæ: imò non his, sed Deo, quem illi docuissent. Quid tamen de horum sententia sentiendum sit, ipse Dominus ubiq; in scripturis per legem & prophetas exponit. Vt enim in lege se solum coli uult, ita etiam imaginibus se coli non uult: longa & sufficienti enumeratione omnes imagines, quales sint, e cœtu sacro eiiciens. Apud Esaïam enim clarijs uerbis testatur, dicens: Ego Dominus, & hoc est nomen meum: & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Et ne illas tantum imagines prohiberi putaremus, quæ in aliorum, nō Dei honorem institutæ sunt, alibi apud eundem prophetā clarissime dicit: Cui assimilabitis Deum, aut qua similitudine exprimetis eum? Quasi dicat: uel hinc constat uanissimam esse omnem, quæ idolis constat, religionem, quod qui hanc habent, mutis simulachris eum

eum referre conantur, quem nulla similitudo exprimit. Si enim ipsa hominis mens & ratio (quæ coelestium quoque orbium motus, & ærias impressiones sua inquisitione penetrauit) Dei naturam nullo modo inquirere potest, nec illius infinitam æternitatem & potentiã percipere, quĩ sit ut ligno & lapidi tribuamus, quod nec rationi tam diuinæ tribuimus? Cum & ipse Dominus in lege testetur: Non uidiſtis ullam similitudinẽ, in illo die quo locutus est uobiscũ Dominus in Horeb, de medio ignis. Ne forte perditẽ agatis, faciẽtes uobis sculptile & simulachrum cuiuscũque figuræ, similitudinẽ maculi aut sceminae. Neque enim hic prætexere licet illiteratorum imperitiã, quibus multi imagines ceu scripturam laicorum proponendas esse asserunt. Constanter enim huic opinioni Habakuk reſclamat, dicens: Væ qui dicit ligno, euigila: & lapidi insensibili, excitare. Ipse ne docebit te? Et Paulus ad Romanos scribens, docet, quod Dominus ὁ ὢν ὁ θεὸς, id est omne illud quod de Deo sciri oportet, potest uel, de clarauerit nobis per creaturas, uisibilibus nimirum contemplatione in inuisibilis creatoris considerationẽ inducendo. Qua de causa factũ uidemus, ut in ueteri ecclesia usque ad Hieronymi tẽpora, summo studio hoc cauerint episcopi, ut nulla in tẽplis imago proſtaret, nec picta, nec sculpta, nec texta: & ne Christi quidẽ, propter Anthropomorphitas. Patefacta autem errori & superstitioni ianua est, dum ceremonijs potius quàm religioni mentis pare intẽti, circa Dei culturam ex suo pte ingenio, licet non malo zelo, homines multa innouare coeperunt. Et de Crucis ueneratione quid hic dicere opus est? Magna quidẽ eius religio, & magna sermonis crucis apud Paulũ auctoritas. Sed de quã nam cruce illum loqui putabimus, cũ Galatis scribens, inquit: Ego uero absit ut glorier, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo? Num ligneam crucem intelligemus? Et quã conueniens hoc fuerit, si illum in ligno gloriari dicas, qui fidem puram tanta constantia docuit: qui Corinthijs fatetur, se nō scire quicquã quãm Iesum Christum, & hunc crucifixum: id est, qui cruce & morte sua nos à morte æterna redemptos patri Deo reconciliarit? Atqui in eodem & nos gloriamur, contra mundum & mundi principem. Crucem, id est passionem Domini nobis salutarẽ esse credimus, hanc ueneramur, colimus & suspicimus. Cruces uero materiales, si ad cultũ proſtent, eiusdem auctoritatis esse iudicamus, cuius crucis typus, æneus nimirum serpens erat: quem cum Ezechias ille pijsſimus Izraelis rex colideret, contriuit, & Nehustan, id est rem æneam uitæ, uirtutis & salutis expertem nominauit. Porro quod diuorũ inuocationem attinet, & intercessionem, multis disputare non est opus. Christus enim

ut nusquam diuorum intercessionem docuit, ita ad se uenire iubet omnes qui laborant, & onerati sunt. Et apud Ioannem alta uoce clamar: Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Et apostolus Ioannes, qui in mystica illa coena super pectus Iesu recumbens, diuinorum mysteriorum cognitionem percepit: Filioli mei, inquit, hæc scribo uobis, ne peccetis: si quis autem peccauerit, aduocatū habemus apud patrem, Iesum Christum, iustum. Vt autem nemo hominū per se apud Deū absolute iustus est, ita etiam nemo pro alijs, ut iusti reddantur, intercedere potest. Quare etiam fortissimus ille Dei præco, & apostolus Christi Paulus inquit: Vnus Deus est, unus etiam cōciliator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus, &c. E quibus omnino patet, quis nam colendus, & quo ritu colendus sit: unus scilicet Deus pater, per filiū suum Christum, in spiritu sancto, cum fide indubitata, per charitatem efficaci, & pura sancta q̃ uitæ innocentia. In lege enim dicit: Sancti estote, quia et ego sanctus sum. Cum uero hæc eadem hic author noster uerissime tradat, interim uero hos ueluti næuos faciei suæ asperserit, non tamen propter reliqua uere orthodoxa dogmata fuerit reiiciendus. Si enim Maro ille ex Ennii stercore gemmas legere non dedignabatur, quanto magis nos paucissimis istis reiectis, hunc tantum thesaurum decet amplecti: Neq̃ hic mihi uitio uerti uelim, quod hæc scribens, ipsa authoris uerba, cum minus pia iudicarem, in lucem ediderim. Malui enim bona fide quicquid inueni transferre, sensu, quantum potui, absoluto & uero, quā hoc admittere, ut fraudis & doli mali meritò accusari possem.

Omnem uero hunc laborem nostrum tibi dedicatum esse uolumus, Draconites præstantissime, tum propter immensa illa tua in me collata beneficia, tum propter principem tuum Philippum Illustrissimum Hessorum Landgrauium, cui totius Hessiæ nomine me plurimum debere fateor. Quando enim satis prædicare potero, insignem illam humanitatem nobis à Marpurgensis scholæ professoribus exhibitam: qui me, cum istic uersarer, non in discipulorum, sed amicorum numerum ascripsisse uideri poterant: Quando etiam satis laudabo familiaritatem illam (cuius uel memoria hodie dulcissima est) quæ mihi Ratisponæ in Illustris. tui Principis aula fuit, tecū nempe, & cum Ant. Coruino, Ioanne Pistorio, Dionysio Melandro, & Ioan. Megabacchio, alijsq̃ uiris bonis, pijs & eruditis: Quibus omnibus cum me multum debere fatear, tibi tamen quā plurimum debeo imprimis, quod te duce in horum familiaritatem peruenirem: qui cum omnes summum in nos amorem testarentur, tu tamen, nescio quo modo, omnes singularibus beneficijs superare cōtendeas:

N V N C V P A T O R I A .

tendebas : parumq̃ tibi facere uidebaris, nisi & amici & fratris, imò filij loco me complectereris. Si tantæ igitur beneficentiæ obliuiscer, haud dubie ē tygride natus, & in asperis Caucaſi montis rupibus enutritus eſſe uideri poteram. Vt interim alias uirtutes taceam, quas apertisſimis ſignis nō ſemel oſtendiſti, imò oſtendis quotidie. Nota enim, imò commendata eſt omnibus tua illa in Marpurgenſi ſchola eruditio, religio, pietas, fides & candor, quo ſacras literas magno cum ſcœnore doces. Nota eſt tua in Chriſtum fides, qua comite etiam patriam, nobile illud Francorum Carloſtadium, deſerere maluſti, quàm ſine hac domi præclarus uiuere. Nota eſt animi tui fortitudo, qua non ſemel fidem tuam & dogmata ſancta coram ſerociſſimis hoſtibus defendere auſus es. Merito igitur hunc ſcœtum meum in illius ſinum depono, quem hunc non minùs ac uerum patrem ſcio deſenſurum. Oro autem, ut hunc beneuolus ſuſcipias, præſertim cum non in beneficij retributionem, ſed in ſempiternum amoris noſtri ſymbolum hunc tibi nuncupem. Faxit modo Deus opt. max. ut hoſce labores noſtros in ſacroſancti nominis ſui gloriam & Eccleſiæ utilitatem ceſſiſſe uideamus. Salutabis autem nomine meo, eruditione & pietate præſtantes uiros, D. Ioannem Megabacchium, Lonicerum, Gaſparem Rodolphi, Matthæum Capellam, & alios amicos fratresq̃ in Chriſto ſemper obſeruandos, Saluum uero te cupiunt, unà cum omnibus tuis, D. Heinrychus Bullingerus, Gaſpar Megander, Eraſ. Fabricius, Pellicanus, & Theodorus Bibliander, præceptores noſtri & ſymmyſtæ chariſſimi. Vale, & in uinea Domini laborantes precibus continuis iuuare pergito.

Tiguri, x. Calend. Ianuarij. Anno à Chriſto

nato M. D. XLII.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]